

De viribus naturae medicatricibus in reparandis et coadunandis partibus corporis humani abscissis ... / [Wilhelm Friedrich Domeier].

Contributors

Domeier, Wilhelm Friedrich.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : Henn. Mart. Grape, [1784]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/npusb946>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
VIRIBVS NATVRAE
MEDICATRICIBVS
IN
REPARANDIS ET COADVNANDIS
PARTIBVS CORPORIS HVMANI
ABSCISSIS.

CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM
ORDINIS

PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE
PVBLICE DISSERET

AVCTOR
WILHELMVS FRIDERICVS DOMEIER.
MORINGA-HANNOVERANVS.

DIE VIII. NOVEMBRIS MDCCLXXXIV.

GOETTINGAE,
TYPIS HENN. MART. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

VIRO SUMME VENERANDO

IOANNI GABRIELI DOMEIER

P A T R I S V O O P T I M O

CONSVLI SECRETARIOQVE MORINGENSI ET DEPVTATO
AD COMITIA CALENBERGENSIA

PRO

INNVMERIS BENEFICIIS

IN

DOCUMENTVM PIETATIS

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

OFFERT

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

WILH. FRIDER. DOMEIER.

THE NATIONAL BUREAU OF STANDARDS

PATENT OFFICE

CONSTITUTIONAL PROVISIONS

ARTICLE I

SECTION 1

ALL LEGISLATIVE POWERS

SHALL BE VESTED

IN THE CONGRESS




P R A E F A T I O.

Ad summos in arte medica honores capeffendos unicuique est specimen eruditionis conscribendum. Cum & ego de exhibendo ejusmodi specimine sollicitus essem, arrisit prae aliis, examini severiori subiicere quaestionem illam, an partes penitus separatae a trunco iterum adglutinari possint: eamque decrevi rationibus, & experienciis, quae hinc & illinc in scriptis autorum, tam vetustioris, quam recentioris aevi, dispersae sunt, illustrare. Etsi vero materiam, quam pertractare conabor, non omni chirurgicae artis perito primo intuitu placituram esse praevidendam, in eo tamen omnes consentire credo, quod statuant tandem, cultri usum saepe damna inferre, ubi aliquis saltim laesae partis cum reliquo corpore nexus adhuc superest. Quod pro viribus percensere aggredior, argumentum non adeo quidem in universum valet, ut limites certos non respiciat. At chirurgi bene sibi consciū officium poscit, omnino, ut mitior methodus severiori praeferatur. Verum enim vero cum res, de qua

A

hic



hic agitur, nec nova sit, neque ulli nova esse videri possit, miror nulum auctorum praecessisse, qui in materiam tantae utilitatis accuratius inquisivisset. Primus qui eam sub incudem vocavit, Cl. WIEDENFELD est. Sed is quoque lambendo pertransiit solum illam, neque vero ex hausit. Data jam mihi occasione, hasce primitias in lucem publicam mittendi, memoratu digniora assequi adlaborabo, quae ad propositum argumentum magis dilucidandum pertineant. Frustra vero agerem, si in coetum illustrium scriptorum, gloriolae eupidus, prodire vellem!

Speciosus enim ingenii partus a tyrone, qui vix, ac ne vix quidem artis Hippocraticae elementa hausisse putandus est, nec expectari potest, nec desiderari. Inde benevolum lectorem rogo atque obsecro, has pagellas veluti compendium doctrinae de partium a corpore separatarum reunionem sibi commendatas habeat, Et si quid in hac materia omissum est, aut rectius dici potuisset, veniam concedat.




§. I.

Quae ex praecipuis observatis, & probatis hodierna aetate in lucem prodiit doctrina, artem medicam, ejusque inprimis forem novis locupletans incrementis, illa de *Reproductione* est. Hanc Ill. BLUMENBACHII indefesso ingenii labori, ac institutis experimentis merito attribuimus. Mira prorsus est naturae in *Regenerationem* propensio, qua discrimen inter compagem animalis viventis, & quamcunque machinam artificialem patet maximum. Si de basi quaeris, in qua late patens chirurgiae campus excurrit, ipsa est *regeneratio*. Sed et super eadem basi fundamentum speciminis mei inauguralis exstructum est. Neque chirurgum tyronem decet doctrinam adeo gravem nescire, eum vero, qui felix hoc inventum altius animo insigere cupit, ad insigne scriptum *laudati optimi Praeceptoris* tanquam ad fontem remitto a). Ex fonte illo quaedam mihi hausta hoc loco referenda sunt: inprimis nomine *Reproductionis*, quae Wolfio vis essentialis, aliis, qui spiritualitatem sustinent, anima informans est, intelligendus nifus ille singularis connatus, omnes reliquas humani corporis vires superans, immo ab iis diversus, rapido connatu formam determinatam simulac exstiterit, assumens; quam per vitae tempus conservat & destructam, modo possibile sit, denuo reparat. Hic est sane nifus omnem captum nostrum superans, qui auram vitalem, &

A 2

inde

a) Vom Zeugungsgeschäfte, und Bildungs Triebe. Goett.



inde ortas functiones per omnia corporis membra dispensat, alit, naturamque animatam implet, ac constituit. Parum autem interest, sive nunc hunc *reproductionem* appelles, sive nomen ei *generationis*, aut conservationis imponas, ista enim nomina, cum eandem operationem designent, nobis Synonyma sunt. Porro species quascunque *Reproductionis*, placuit *Auctori citati* operis in duas classes praecipuas dividere: alia quippe est a) *Reproductio secundum naturam*; quam adeo prodit veterum integumentorum cum novis commutatio in lacertis, erucis, araneis, aphidibus, aliisque ejus generis animalibus; vernatio aequae in mammalibus, quae, excisis antiquis, novos ac recentes pilos acquirunt, toties observata. Ista vero species non adeo ad rem nostram facere videtur, quam altera b) *Reproductio praeter naturam*. Haec denuo dividitur

I. *in reproductionem formae*: qua natura destructam formam redintegrat absque laesione, aut imminutione ipsius substantiae &

II. *in reproductionem materiei*: qua perdita substantia simul augetur, & refarcitur. Prior imprimis argumento meo inservit. Constat autem, naturam suis viribus reproducere posse materiem, cum manifeste perditas corporis partes refarciat. Sic reproductisse observat Ill. HALLER b) novum unguem in secunda digiti phalange amissa prima; restituisse integra ossa, epidermidem, crines, dentes &c. Si vero ipsa tantum valet suis viribus, quanto magis reunio partium separatarum, ideoque *Reproductio* formae secundum parsimoniae leges ex ea expectari poterit? Sed non homo, aut animalia, quae compacta corporis fabrica praedita sunt, tot commodi ex eadem reproductionis vi sperent; ad alia potius, quae fibrae laxioris sunt imprimis vermes ejusmodi commodi pertinent. Aliquid tamen auxilii & prioribus inde esse, quotidie intelligere est ex variorum regeneratione ossium.

§. II.

b) Elem. Physiol. Tom. VIII.

§. II.

Praemissis iis, quae de *reproductionis viribus* monenda erant ad rationes & exempla progredior: inprimis mutilatorum, quibus amissas partes natura reddat, tam frequentia occurrunt exempla, ut ne vestigium quidem factae jacturae relinquatur. Res e. g. patet in Polypo c): facta in ejus corpore longitudinalis incisio planam superficiem relinquit, instar striae; & mox polypus aut suam primitivam formam recipit; aut intumescit, aliud sensim abdominis cavum obtinet, verbo: post moras renascitur. De arborecente planta quoque constat, si inverso modo terrae inseritur, radices converti in ramos, ramosque in radices. Cl. TREMBLY d) Polypos varii coloris multa cum facilitate reunivit.

§. III.

Regnum imo vegetabile observationes inquirenti offert innumeras. Quid enim aliud insitio, aut inoculatio, ad nauseam usque in arboribus tentata, nisi partium separatarum coalitio est? e) Et si porro animadvertas furculos diuersarum arborum diversae speciei arbori insertos cum ea crescere, admirationem hoc omnino augebit. Neque fere arctum hoc commercium solis arboribus proprium est; quod paulo inferius exponam. Videamus prius, quantum natura possit, & quantum impendat ad illatum sibi damnum reparandum, ad noxia a corpore removenda.

§. IV.

Reparatrix quippe natura omni tempore suam vim medicatricem ita exercet, ut nemo, nisi in arte plane hospes, promptum praesens ejus auxilium negare possit.


A 3

Haesit

c) BLUMENBACH über den Bild. Trieb.

d) Sur les Polypes.

e) Duhamel Physique des arbres.



Haesit cuidam cuspis sagittae per annos novem in cerebro, quem, ut educeret, natura vulnus per annos duos apertum tenuit; quum vero aeger, quotidianis libere indulgens occupationibus, artis salutaris auxilia negligeret, natura sibi sola insufficiente, vulnus sponte clauditur. Post annos novem, nec prius, accesserunt varia symptomata, & aeger vita excessit. Inspecto cadavere inventa est dimidia cerebri pars suppurata. f)


Infans quinque annorum tussi convulsiva correptus, sensit dolores in collo acutissimos. Nocte ingruente sequutus est vomitus, abdomen praeter solitum expansum induruit; capitis dolor, vigiliae, linguae impuritas, ingratus sapor, ipsa denique febris superveniens cum tussi sicca aliisque forsan symptomatibus jubebant medicum de vermibus cogitare. Adhibitis vero citra levamen anthelminticis tussis exitiosus per duas hebdomades duravit.

Postea dolor ingens dextrum thoracis latus simul & ventriculum affecit; apparuerunt signa ruptae vomicae; anhelitus foetidus; purulenta, flavique coloris excretio. Sensus denique doloris ascendit usque ad scapulam, sub qua retrorsum dilatatus tumor, crescit ad maturitatem perfectam, & ruptus saniem emittit, adeo copiosam, ut inde totus lectus madefieret. Tandem in margine aperti tumoris spica detecta fuit, quam puer faucibus quondam adhaerentem non deglutivit. Aeger extracta spica convaleuit. g) Simile quoddam viro obvenit, qui Tabacum fumigando obdormiverat; & ruptae fistulae fictilis orificium dormiens ingessit, & ex hoc suffocationis periculum, convulsiones, febris demum lenta. Post longum tempus, orto in dorso tumore, dictum orificium cum copia puris evomuit, & ad salutem rediit. h) Persona item sexus sequioris, quum annum aetatis

f) Journal de medic. Tom. XXI.

g) Schwedische Abhandl. B. 34. v. Bierchen.

h) ACRELS Vorfaelle.




aetatis vigesimum complevisset, observabat tumorem attolli in sinistro abdominis latere; quoties enim femur expandebat, dolorem sensit lancinantem. Inde aegra incipit contabescere; nunc diarrhoea cum alvi obstructione alternat, modo sitim perfert inextinguibilem, modo quaeritur de appetito prostrato, jam febris lenta consumitur, jam sudore colliquativo diffluit. Tumore demum inciso, quum magna quantitas puris per dies aliquot efflueret, substantiam duram latitare observatum est, qua intestino coeco extracta, visa sunt excrementa limatura martis saturata esse: hac enim limatura copiose usa est aegra per aliquot annos propter vitiositatem fluxus menstrui. His porro sordibus excrementorum inesse instrumentum bombicino operi destinatum, quo aegra olim saepe occupabatur, deprehensum est. Putant illud in memorato intestino delitescere potuisse per annos XVI: tam diu nempe corpora aliena latitare in nobis possunt & mira symptomatica saepe producere solent. Remota vero morbi causa celerissime aegra vires resumit & convaluit. i) In alia puella tres acus devoratas per sinistram scapulam eductas fuisse monet GESNERUS. k)

Vti vero naturae vires insunt, quibus corpora peregrina eiciat, ita viribus quoque praedita est, quibus vulnera periculosa sanat. Sanatur nobile pulmonum viscus, obtento vulnere sclopetario. Ingressus globi fuit inter quartam & quintam costam veram, duorum digitorum spatium a sternum; egressus inter quintam & sextam costam veram, trium digitorum intervallo a vertebrae dorsalibus. Adeo autem corporis oeconomia turbata est, ut omnis symptomatum series metuenda esse videretur. Febris porro vehemens, scretus cruentus, qui decimo tandem die in purulentum immutabatur, indicio erat, aegrum maxima inter vitae discrimina versari. At prodigiosa natura, artis
admi-

i) Philosoph. Transact. Vol. 67. P. II. Fielding.

k) Neueste Entdek., in der Chirurg.



adminiculo accedente, morbum vicit, vulneratum, quatuor mensium spatio ex orci faucibus eripuit l).

Alio cuidam jactus aliquis armentarius globum inter quintam & sextam costam injecit, qui inter easdem costas sub scapulam emissus est. Pulmoni iterum vulnus non modo inflictum est, sed pars vestimenti cum globo ingressa, periculum auxit. His non obstantibus, cum per duodecim hebdomades lectulo esset affixus, aeger incolumis tandem evasit. m)

Transfixum legi alium gladio, qui intraverit prope vertebrae lumbarem transversim per abdomen, & in sinistro umbelici latere iterum exiverit. Excrementa ex ambobus vulneribus adeo copiose effluebant, ut excretio consueta per intestinum rectum prorsus interciperetur. Vulnera vero cum aperta servarentur, repetitis clysmatibus, exhibitis liquidis nutrimentis, & quidem commoda methodo hic quoque vulneratus, nondum elapsis sex septimanis, salvus evasit. n) Alius iterum ictu adeo violento ex sclopeto petitus est, ut binae pulmonis alae dilacerarentur, scapula, cum una costarum diffracta. Etsi vero is die conflictum sequente sese cremato inebriaverit, tamen extractis solícite ossium fragmentis, & saepe reiteratis venaesectionibus adeo in integrum restitutus est, ut vigesimum annum ab illo tempore laetus numeraret. o)


Vulnus iterum aliud, cum fractione ossis frontis, dilaceratione durae matris, & cum laesione ipsius cerebri, duos digitos transversales

l) SCHMUKKER chir. Wahrnehm.

m) Harlemmer Abhandl. von Sannie.

n) SCHMUKKERS chir. vermischte Schr.

o) Ebendasselbst von SPONIZER.



versales profunda, intra duos menses sanatum est; amissa tamen portione cerebri. p)

Casus notatu quoque dignus legitur de viro, cujus sinistri oculi exteriorem angulum baculus sclopeti intravit, eo loco quo Zygoma originem sumit, & egressus est in posteriori parte capitis per os bregmatis dextrum, loco unum circiter digitum transversalem a latere futurae squamosae distante; penetravit itaque usque ad medium lobum cerebri sinistri; ibi haesit adeo, ut sine majori violentia inde erui non posset, & ipse vulneratus peracto extractionis negotio in stuporem profundum incideret. Vulneri, cum paucas sanguinis guttas stillaverit, deligatio sicca cum linamento carpto adhibita est. Post dies aliquot extracta fuit pars ossis e vulnere posteriori, & aeger paulatim ad sensus rediit. Sed neque huic periculoso vulneri medela deerat. q)


Narrat Cl. OLLENROT r) alam pulmonis sinistram, pericardium, & ipsum cordis apicem laesum fuisse; quod, dilatatione externi vulneris facta, detexit. Vulnus vero in apice cordis planum erat, & sex linearum longitudinem aequabat; symptomata: spastica cordis palpitatio, anhelosa respiratio, pulsus parvus, durus, quarto quovis ictu intermittens, motus spastici thoracis, externorumque membrorum. Morbus omnium consensu exitialis, intra admodum breve tempus, nempe quinque hebdomadam spatio levabatur, adeo, ut nec remaneret dolorosa sensatio in pectore, neque tussis, neque aliud incommodum.

Sed aequae VÖLKERUS s) attulit casum; invasisse globum abdomen, qui prope sinistrum renem pertransierit. Effluebat sanies aquosa

p) Ebendas.

q) Journ. de med. Tom. 48. Limbourg.

r) & s) SCHMUCKKERS chir. Schr.



aquosa, & foetens, laesus dolore mordaci afficiebatur, aliaque gravia symptomata vim morbi acuebant. Die tandem vigesimo quarto globus per alvum ejectus est. At curatio inde sequuta ad diem trigessimum sextum continuabatur; quo novi insultus aegrum divexabant, & malum deinceps ingravescebat, donec provida natura quasdam vestimenti partes frustra per vulnus ejiceret. His vero stupendis naturae auxiliis non respondens aegrotus post tempus aliquot, commisso errore diaetae, denuo in morbum incidit, & magnum tunc vitae periculum subiit; quippe spasticus intestinorum motus serpentum sese volutantium turbam fingeat. Critica autem superveniens diarrhoea, sudorque pessime olens tertia etiam vice aegrum a communi mortis lege exemit, qui, continuato postea medicaminum roborantium usu, convaluit. Alium porro legi exploso sclopetario globo penetratum esse sub cartilagine cricoidea ad sinistram partem, illumque globum discerpisse partem membranosa asperae arteriae & exivisse oblique inter processum maxillarem & superiorem maxillam. Verosimile est, eum offendisse etiam oesophagum; cum aegro primis diebus deglutitio deerit. Peracta vero curatione nullam aegrum molestiam amplius percepisse certum est t)

Neque dum globus sinistram partem dorsi perfodit ac dextrae fossae humeri adhaesit, ventriculum insuper, hepar & pulmonem vulneravit, periculum in mora esse observata docent, u)


Cl. SAVIARD w) novit virum quendam, qui utroque ventriculo cordis transosso diem quintum supervixit.

Et alium, qui transfixo ventriculo cordis dextro sextum diem vivus transigebat, ad omnium admirationem proposuit *Praestantissimus*

t) l. c. RÜDIGER.

u) PEW in medic. Commentar., Vol. V.

w) Journ. de med.



finis MORGAGNE. x) Annon venaesectione, & quiete impediri poterit trombi separatio, adeoque vulnera cordis, & maximarum artiarum sanari?

Ad basin usque cranii ad anteriorem lobum cerebri per nasum ascendit globus; & egressum sibi paravit per os frontis, intervallo duorum digitorum transversorum ab insertione ossis hujus cum osse bregmatis; salva tamen vita- y) Quod globus ex archibusio dorso impressus, quatuor pollicum spatio a spina dorsi prope infimum angulum scapulae, & loco, quatuor pollicibus a sterno distante, expressus vitam aegro non ademerit, credendum Ill. VOGELIO z). Quis non attonitus auscultet Cel. HENKEL? Curri onussi pondus tria ossa interna metacarpi, & os humeri prope insertionem deltoidei adeo commoliebat, ut ne ossa amplius iis in locis sentirentur. Amputationis loco communis eligitur medicamentorum apparatus, ac ossa, uti externa quoque integumenta, renascuntur. a)

Cultro prope vertebrae lumbarem sinistri lateris pertuso excrementa ex vulnere scatent, quod laesi intestini indicium est. Absque tamen enteroraphia intra quinque hebdomades restituta sanitas est. b)

Vidit Cl. MICHAELIS ictum globi diametrum militis perfregisse ambo ossa temporum. Qua commotione vehementi magna pars cerebri cum visu perdita est. c) Alterius perforatum os temporis

B 2

ris

x) Journ. de medic.


y) Cel. CHOPART & DESAULT Des malad, Chir.

z) Chir. Beob. 2 Samml.

a) chir. Beobacht.

b) RONALDSON in med. Commentaries. 1780.

c) Ill. RICHTER chir. Bibl. B. 6, p. 729.



ris fuisse refert, globo per os occipitis immisso transeunte. Ambo autem in integrum restituti sunt.

Meminit Cel. GESNERUS d) globum blando transitu tetigisse solum symphisin ossium pubis, ac intactis ceteris ossibus, quum ad vesicam urinariam pervenerit, erupisse tandem inter os ilei & apophysin transversam ultimae vertebrae lumbaris. Per dies viginti & unum continuo ex vulnere urina effluxit; donec tandem clauso post quatuor hebdomades vulnere, cessante aliis diebus quatuordecim post inflammatione cateter adhiberi potuerit; quo obstacula reliqua levante amica salus rediit.

Anatomica sectio gladio perempti militis exhibebat laesum pericardium, venamque cavam, qua regione dividitur in ascendentem, & descendentem; peremptus tamen vita non nisi post horas triginta sex excessit. Alius iterum transfixo thorace vixit tres dies sine magno admodum incommodo. e) Quarto die corripuit eum tandem febris vulneraria, & anhelosa respiratio, & cum ad nonum usque diem perdurasset, mors consequuta est. Ab aliis fertur gladius quoque vulnerasse ventriculum cordis dextrum, diaphragma, & hepar. Acceptum vulnus in aorta prope suum exitum ex corde non impedivit, quin in diem prope sextum protraheret vitam. f) Per dies illos aeger mediocri fruebatur valetudine; & conquerebatur solummodo de pectoris gravedine. Neque pulsus defecisse adeo observatum est. Mors fuit repentina. Quod gravi vulnerationi deliquium supervenerit ad trombi genesin multum conferre contulisse non improbabile est. Si vero tempus trombo datum fuisset ad sese consolidandum, aeger certe mortem effugisset.

His

d) Neue Entdeckung, 527.

e) MORANDS chir. Schrift.

f) GASSARD Journ. de medic.

His jam enarratis patet, quantum nifus naturae formativus possit, quum aut de eliminandis e corpore noxiis, aut de curando vulnere lethali sermo est. Poterit itaque natura pari eodemque nifu partes plane separatas reunire. Magis tendit nifus iste ad hanc reunionem, quam tendere possit ad partis mutilatae redintegrationem, aut ad totius nostrae salutis conservationem.

§. V.

Argumentum vero meum non hypotheses sequi, sed res ipsas magis etiam docent sequentia. Si quae partes magis dissolutae unquam visae sunt, eas certe vidit Cl. SCHNEIDERUS g) in casu, quem nobiscum communicavit. Vulnus ex archibussio existebat tantum in musculis; extendebatur autem a regione inguinali prope usque ad superiorem & inferiorem regionem femoris. Multi musculi dilacerati inventi sunt, ipsum quoque scrotum. Vulnus erat gangraenosum. A die sexto ad sextum usque decimum alternabant convulsiones, deliria, stupor. Hebdomade nona vulnus clausum est, & vulnere affectus lectum reliquit. Melancholicus fui impatiens incidit proprium abdomen; propendent intestina jamjam sphacelosa. Examinatum vulnus prodit abscissam simul partem ventriculi, partem de margine hepatis dimidio pollice latam & tribus longam; partem denique intestini coli, cujus extremitas longe reliquis partibus distabat. Chirurgus de salute jam desperans quaecunque propendebant, reponit, ac reunionis opus fere soli naturae committit. En autem & hic pericula vicit, mortem effugit. h)


Vulnera item in lingua ad duas tertias partes extensa sanavit Cl. PIBRAC.

B 3

In

g) Chirurg. Geschichte, 9 Th.

h) THEDENS Bemerkung.



In capite vero vulnus, a Cel. LESKE descriptum, incipiebat a palpebris, & percurrebat totam sinistram faciem. Intrusa in cerebrum plurima ossium fragmenta, quibus pars orbitae adnumeratur, chirurgus evolvit. Interim aeger animi deliquio corripitur; evomit bilem & sanguinem. Os frontis compressum, durae meninges non contusae solum, sed discriptae quoque funesta vaticinantur. Opus itaque naturae relictum est, ut, quod ex arte sperare haud licet, ipsa perficiat. Parum erat, ut quinque menses decurrerent, reparando tanto damno destinati. Iis autem elapsis morbus sanatus est. i) Alterius partem lienis abscissam, vulnusque in ventriculo futura sanguinea unit. k) Pueri, cum ex vulnere sex drachmas cerebri perdidisset; vita servata est. l) Redintegratur Oesophagus ex graviori laesione. Pars ossis verticis abscisa reproducitur, ac hoc non nisi solum obligationem requirit. m) *Morandi* non infrequens erat felix vulnorum ventriculi curatio. Optimo quoque cum successu dilaceratam duram matrem, contusum os frontis, ac laesionem cerebri adeo periculosam infra duos menses in aegro reparavit. Omnium primo autem curandum est, ut fragmenta ossium, solcite ex vulneribus ejusmodi extrahantur; quod ipse auctor praestitit. n)

Aliud caput, quod cerebrum perdidit, KOELPINUS sanavit. o)

Denudatum vero cranium coloni ex arbore lapsi integumentis propriis undique dependentibus tegitur, factaque strictiore deligatione

i) Auserl. Abh. chir. Inhalts aus den philos. transact. 1719. — 49.
II Th.


k) l. c.

l) SCHUETTE in Harlem. Abh.

m) Journal de medic. Tom. 44.

n) Chirurg. Schr.

o) De laesion. capit.



gatione curatio perfecta est. p) Symphysis ossium pubis a materia caustica, in illa regione latitante, solutam in puerpera, ope carnis sanae sensim ossescentis reunit natura quinta a partu hebdomade. q) Docet Cel. STEIDELE contusa vulnera saepe sanari sine suppuratione praegressa.

Atque in intestinis vulnus maximum absque futurae adminiculo coalescit. r)

Certe natura semetipsam juvat, modo non impediatur. Sanat puncturam sive ictum qui ad majorem lobum hepatis pertinebat, ad quod remedia sufficiunt, quae inflammationem & suppurationem alias attinent. s) Vulnus quoque abdominis communi auxilio a natura curatur. Ceterum natura patienter se gerit, dum variis modis a quibus adjuvanda est, pertractatur. Cl. HOMBERG t) ascindebat unius ventriculi duas tertias ($\frac{2}{3}$), ut vulnus abdominis, per quod omentum prominebat, sanaret.

In aliuscujusdam capite undecim vulneribus affecto manus chirurgica operationem cum trepano instituit quinquies. Trismo superveniente natura per alvi depositionem criticum morbum dissolvit. u)

In osse verticis integumentis spoliato fractura ciliaris (Sternbruch) observata est. Aegrum exanimem venae sectio, Clysmata, Fomen-

p) ALIX observat. Fasc. III.


q) ACRELLS chir. Vorfaelle.

r) Philosop. Transact.

s) Journ. de med. Tom. 48.

t) Wahrnehmungen.

u) SCHMUKKERS chirurg. Schr.



Fomentationes frigidae, ad sensum revocant. w) Tertio die sentiebat dolorem lancinantem supra oculos, ipsorum autem oculorum spasticam constrictionem; quod symptoma fomentationibus frigidis celetum ac sanitas, terminata oïlis verticis exfoliatione, secuta est. SELLIE x) perhibet vulnera cerebri periculosa adeo non esse Casu intrusum fuit instrumentum trepani longitudine pollicis unius & dimidii in cerebrum; Sentiebat aeger dolorem, qui trepano extracto statim cessavit: nec malum inde evenisse constat; imo mature vulnus capitis sanatum est.

§. VI.


Nemo itaque, nisi veritatis inimicus, hisce auctoritatibus fidem neget, sed eos potius imitari studeat, qui doctrinae suae praestantia quod melius est, statuunt. Sed melius est partes penitus separatas unire, quam cultro dividere, satius est destructas reparare, quam reparandas magis destruere. Vincit haec veritas; ad mitiora suadet charitas. Si quis jamjam relatis non persuasus est, graviora certe sunt quae sequentur. Tentabat Cel. LENTIN y) securi amputatum antibrachium, quod ex solo ramo posteriori arteriae cubitae, pendebat, redintegrare. Et tandem effecit, ut rusticus, laboribus domesticis, saltim facilioribus fungi possit. An non id levamen, ac emolumentum affert homini laboribus assueto? Etiam si vero ad nullum plane negotium aptus esset, servato tamen brachio decus corporis servavit; carere enim membro utique deformitas corporis est. Casus non absimilis sese offert in vulnere capitis, cujus musculus temporalis dissectus, pericranium hinc, & illinc avulsus, ipsum vero vulnus ab osse bregmatis deorsum ad aurem usque dilatatum erat.

Facta

w) l. c. OLLENROT.

x) l. c.

y) Beobacht. einiger Krankheit.



Facta partium repositione, continuato per tres hebdomades blando remediorum usu curatio absolvitur, vulnus disparet. z)

Alteri quum actu morbo venereo laboraret, ictus frameae divisit olecranon. Nulla tamen ratione habita viri in corpore latitans partes reunitae alescunt; vulnus ipsum medelam exigua poscit a). Ictus alius os nasi perscindens, alius iterum manus articulationi vicinus, pari facilitate, ac brevi tempore sanatur.

Et quis non illico cultrum arripuisset ad abscindendam manum infantis, quae ab alio jam amputata, flexori solum indicis adhaerebat? b) Inprimis notandum est aegrum variolis oblitum pericula majora incurrisse; nec tamen morbi in praedam cessit. Haud absimile vulnus in brachio absecto sine praegressa ossis exfoliatione curatur spatio decem hebdomadum ab HOFFMANNO. c) Remansit solum leve vestigium perpeffi ab eo mali, cum brachium hominis per vitae tempus introrsum remansit. Sed haec mali levitas qui potest sub censum venire respectum, si quis habeat iacturae totius brachii?

Etiam tertio jam die dependens ex capite lobus carneus integumentorum reponitur, & vulnus sanatur. d)

Aliqua saltim flexibilitas post curationem mansit in digitis manus, rupto sclopo contusae, cujus omnia ossa carpi inventa sunt distensa, pollex ablatus, ac reliqua ejus pars vehementer conquassata. At tantum viro suffecit, qui totam manum perdere noluit. e)

[Ampu-

z) Versuche einer chir. Gesellsch. in Kopenhagen.


a) Journ. de med. Tom. XXI.

b) SCHMUKKERS chirurg. Schr. Juny.

c) l. c.

d) ALIX observ. Fasc. IV.

e) SCHNEIDER chir. Geschichte.



Amputata auris externa adglutinetur facile, si eam subito admoveris, & lege artis firmaveris. f)

Cl. BLOCH sanavit tres abscisos digitos, qui ex integumento solum pendebant. g) Observat Cel. MOHRENHEIM h) ex fortunata curatione manus contusae colligi posse, quod digitus manui vel modice saltem adhaerens nunquam abscindi debeat. Id vero non de digitis solum, sed de aliis quoque corporis partibus intelligi facile posse docet casus sequens. Tetigit evibratus e sclopeto ictus pueri annorum undecim brachium, fregitque subito, adeoque destruxit, ut a reliquo corpore separatum modice carni adhaereret, quae pollicem circiter unum & dimidium longitudine ac pollicem unum latitudine aequabat. Quia vero in ea carne vasa sanguiifera & nervi continebantur, servatum fuit brachii cum reliquo corpore commercium. Ad reunionem itaque accedit chirurgus & tres menses sanando consumpsit, ita ut puer liberum brachii ac digitorum usum recuperaret. i) Uti vero vasorum per totum corpus communicatio est, ita cavendum chirurgus ne partem laesam qualemcunque, corpori adhuc adpendentem, abscindat; quippe communicatio humorum, cui maxima vis vitae inest, plurimum confert ad curationem. Alteri pars jecinoris abscissa, alteri arteria aspera, oesophagus alteri divisus adglutinatione partium redintegratur. Videbat Cl. HARBICHT k) phalanges pollicis, ossa metacarpi in indice & digito medio lacera- ta jamjam gangraenescere; manum militis amputatam, ejusque extensores tendines digitorum, & flexores, ac reliqua usque ad integumentum volae deficere; & bono animo jubet esse ambos, quos feliciter post sex hebdomades sanat.

Parum

f) PRIX Memoir. de l'aced. de Chir.

g) SCHMUKKERS chir. Schr. BLOCH.

h) MOHRENHEIMS Beobacht.

i) SCHMUKKERS chir. Schrift. SEELIGER.

k) l. c. HARBICHT.

Parum abfuit, ut puer quatuor annorum natus nafum, cujus partem cartilagineam equus calcitrans decuffit, amitteret. Sanguinea futura adhibita eft; & hoc unico remedio nafus diebus quatuordecim praeterlapfis integer evafit l). Cel. THEDEN m) medelam fert amputato, ex cute tantum pendenti, digito. Alius partem cranii integumentis folum propriis adfixam reponit, reftaurat, tempore octo dierum. Negare ergo nemo poteft poffibilitatem, qua duae partes divifae, & omnino penitus feperatae uniri fimul poffint adeo ftrictè, ut appareat, eas nunquam fuiffe feperatas.

§. VII.

Nam fi quis vel elementa folum Chirurgiae condidit, variae et occurrent operationes, quae chirurgum commonent fui effe utique officii, partes feperatas nunc coadunare, nunc coadunatas feperare. Huc inprimis fpectat operatio labii leporini, fectio offium pubis variis temporibus bono cum fuccelfu inftituta; amputatio ita a *Lambeau* n), divifio quoque concretorum digitorum, quae concretio confequitur, fi, ambuftione praegreffa, quilibet eorum feperatim non obligati funt. Ut alia taceam.

§. VIII.

Vaftus adhuc nobis campus obfervationum fupereft, quas, cum aequales ceteris fint, in hoc §. confiderandas proponam. Nota eft inoculatio, feu infitio arborum faepiffime tentata, qua frondes alterius arboris cum illa, cui inferuntur, manifeftè concrefcunt, & unam folum arborem conftituunt. A fimili arte in Arabia ferpentes cornuti vocantur & funt o).

C 2


Testi-

l) PFAF in Richters chir. Bibl. B. 6. p. 532.

m) GESNERS Entdeckungen in der Chirurg.

n) Hift. de l'acad. de Sciences 1702. p. 23.

o) HASELQUIST in Act. Upfal 1750. p. 27.



Testiculum galli abscissum imponit Gallinae HUNTERVS, qui adglutinator vas sanguiferis a natura exornatur. Idem auctor experientissimus vidit testiculum galli nunc abscissum, nunc ejusdem corpori iterum adpensum adglutinari, & continuo nutriri. Quod galli calcar abscissum, & cristae prius incisae immissum cum eadem coalescat, res dudum nota est.

Denti quoque recenter extracto ea vis inest, ut rebus multis denuo uniri & concrecere possit. Dentem imposuit Ill. HUNTERVS incisae cristae galli, & agebat radicem dentis in vulnere cristae, quod sese circa dentem clausit. Post aliquot menses occidit gallum, & facta injectione vidit liquorem vasa dentis penetrasse.

Cel. DUHAMEL p) abscidit sensim sensimque pullorum gallinaceorum crura integra, quae, facta iterum adglutinatione, sanavit.


§. IX.

Nimis vero longe repetere videor observationes; quippe tantas invenire licet in hominibus. Ossa fracta per callum conglutinantur; cur non etiam reliquae partes corporis?

Monui jam ex HUNTERO q) dentem posse transplantari, sed curandum solummodo est, ut radix dentis inferendi minor sit alveolo, cui inmittitur. Poterit etiam cum eodem successu ope limaturae aptari. Effectus autem insitionis pendet a nisu, quem omnes naturae animantes habent. Ut primum enim corpus corpori admovetur, etiamsi structura utrumque inter se differat, unitur, dummodo in alterutro vivus humorum circuitus adhuc perennet. Continuatur hic nifus in parte etiam separata a corpore. Dens nunc extractus iterum adglutinator alveolo cui inferitur; & verosimile est, eam partem adeo fieri

p) MERN. de l'acad. de Sciences 1746.

q) Hist. of teeth.



fieri illius corporis, cui inferitur, ut prius pars ejus fuit, unde sumptus est. Omnia haec observata manifeste ostendunt, existere principium vitale in corporibus, & ita quidem, ut sua existentia, conservatio, ac perseverantia nulla ratione ab influxu cerebri & sanguinis dependeat. Inde intelligitur, quam ob causam homines imperiti subfanando negent, quidquid eis de abscissis, & iterum adglutinatibus partibus narratur. Inscium enim prae se ferunt principium quod a nemine ignorari potest, vitalis. Nobis vero, qui ex tam multiplici Doctorum Virorum usu atque experientia de rei veritate sumus persuasi, perinde esse non potest, utrum separentur an adunentur partes; posterius vero priori semper praeferendum est. Solet autem Ill. HUNTERVS salutarem morem sequi, quod lauet dentes prius, quam loco destinato imponat. Eruto dente alveolus angustior fit. Inde ut insertio locum habeat, non multum temporis inter extractionem unius, & insertionem alterius intercedat necesse est. Impletum jamjam alveolum dens qualiscunque supplebit. Etiam ex calvaria dentes assumere licet, qui saepe multos in annos alveolo firmi adhaerent. Operatio si fallit, imprimis ideo fit quod dens insertus resistantiam angusti alveoli, aut inferentis impetum experiatur, unde oritur dolor, inflammatio, & suppuratio. Quo citius dens novus alveolo inferitur, eo securius solidatur. Ideo dentes casu eruti, aut excussi, tempestive proprio loco suo reponendi sunt. Locum habeat id quoque in molaribus. Si vero haec omnia possibilia sunt, quis non credat separatas corporis partes posse concreescere? Inter dentem suumque alveolum vivam versari unionem observamus ex naturali & sano dentis colore, ex morbis, quibus adficitur, & inde natis doloribus. Sit vero dens sanus e corpore sano, ne insertio plus damni, quam utilitatis afferat.


§. X.

Id vero, quod retuli, non dentium modo proprium est. Cel. DUHAMEL r) labium leporinum se implevisse carne gallinacea.

C 3

Et

r) MEM. de l'acad. des Scienc. 1746. p. 347.



Et Cel. BARTOLIN s) monet, vulneribus abdominis aptandam esse carnem vervecinam. Huc referenda est toties iterata operatio TAGLIACOZZII, qua nasus aut ex parte aut ex toto absectos redintegrait. Ossium forma reproducitur, dum partes sceleti violento modo separatae arcte reuniuntur, apteque concrescunt. t)

Perinde vulnera capitis aliarumque corporis partium sanantur.

§. XI.

Non caret reunio partium sua utilitate. Inprimis liber usus recuperatae partis tenendus est. Quaeritur: an aequae arteriae & nervi inter se conjungantur? Certe metuenda corporis deformatio reunionem vasorum poscit, ut, perdita e. g. parte nasi abscissa iterum concreseat. Multum porro utilitatis capit inde totum corpus, quod vehementiore suppuratione, quam adglutitio partis impedit, vires suas non consumat. Musculos, & ossa concrescere omnibus notum est. Ossa vero semper per callum uniri observata negant; solum, quum extremitates sese punctatim contingunt, callus non transsudat. Vidit Cel. WILMERS u) vena crurali dilacerata maximam copiam sanguinis telam cellulosam intrasse; qua per aliam viameducta haemorrhagia interna cessavit. Cel. STEIDELE jubet residuum dimidia in partem arteriae abscindi, cum sperat eam certo reuniri posse. Secto cadavere observavit Cl. STARK x) perscissas in vita venas jugulares externas epiglottidem, ac partem oesophagi superiorem adeo concrevisse, ut excepta cicatrice solita vestigium aliud laesionis non adpareret. Alium accepto ictu in articulationem brachii anterioris, quo ulna, arteria, & ligamentum interossea vulnerabatur Cl. BAILEY compressione, venaesectione, ac usu opii sanavit. Persecidit Cel. DU-

HAMEL

s) Hist anat. Cent. VI. Nro. 59.

t) BLUMENBACH Osteolog.

u) Cases and Remarks.

x) Medical Comm, Vol. IV.

HAMEL gallinae crus dimidium; eo sanato perſcudit quoque alterum dimidium, ſanato & altero occidit gallinam, ac facta injectione vidit vaſa cruris liquore inpleta eſſe. Ill. BILGUER y) diviſos nervos reuniri, & laeſas perinde functiones reſtitui ſaepe obſervavit. Cl. MICHAELIS. ait z) quod natura inſignem ſaepe oſſium jacturam repareret, omnibus ad nauseam uſque notum eſt; diviſos autem nervos ſimili modo regenerari pauci percipiunt. Cl. KRUIKSHANK excidit cani partem ex pari vago nervi intercoſtalis, & vidit illatum damnum reparari a natura. Obſervationis hujus veritatem plures alii confirmant. Itaque & nervi, & vaſa ſanguifera diviſa reuniuntur.

§. XII.

En igitur, obſervationes Ill. VIRORUM quas hoc §. collegi quoad curationem partium diviſarum ſpectant. Narrat Cel. TODE a) digiti partem adglutinatam. BOSSU curationem naſi abſciſſi a Cl. GARANGEOT defendit. b) Refertque aliam hiſtoriam de abſciſſa ſuperiore pollicis articulatione, quam vino calido prius ablutam loco adaptavit; & cum ſeptimo die deligationem deponeret, vidit incepiffe reuniri. In decurſu pars laeſa priſtinam flexibilitatem reſumſit.

Notat Cel. BILGUER carnem contuſam, quae aliquando ex vulneribus pendet, loco apponendam eſſe, ac ne ibi pus colligatur adprimendam c). Obſervata ſua perſuadent Cl. POUTEAU, ut credat, in partibus abſciſſis vitam adhuc exiſtere d).

Cel. HEISTER & FLEURANT digitos plane obſciſſos ſaepe redintegrarunt, Perſcinditur Symphiliſ oſſium pubis, & partes iterum

y) Anweiſung. für Wundärzte.


z) RICHTERS chir. Bibl. 5 B. p. 120.

a) Medic. chir. Bibl.

b) Journ. de med. Tom. 33.

c) Anweiſ. für Wundaerzte.

d) In ſeinen oevres Tom. II.



rum concresecunt. Constat vulneribus colli, abscissa aspera arteria, non defuisse medelam. Vulnus item capitis, dependentibus jamjam in diem tertium integumentis sanat Cl. ALIX e).

CHOPART & DESAULT praescribunt modum lobos a cranio avulsos reponendi & consolidandi f) GARENGEOT plura hujus generis exempla collegit g). Tentamina memoratu digna TAGLIACOZZII, quibus per artificiosam incisionem cutis, ex humero assumtae, defectum narium, aurium, labiorumque compensavit, ad unum omnes admirati sunt. Nobis vero commodum videtur ut eadem potius pars avulsa loco suo adfigatur, quam alieno. Atque in hoc ab eo unice dissentimus. Legi eandem amputatam manum bis sanatam a Chirurgo, qui mora impatiens primam sanationem destruxit. Itaque non desunt exempla adglutinationis partium separatarum, verba sunt Cel. SCHMUCKER h). Quod vero ante omnia assertis meis pondus addit, est, quod Ill. RICHTER *Princeps in arte Chirurgica* iisdem suffragari, & tam in libro de elementis chirurgiae nuper edito i), quam in Praelectionibus suis a meis partibus stare scio. Nunc ad specialiora, quae curationem attinent, progredior.

§. XIII.

In sexu sequiore, ob teneriorem corporis fabricam, sensibilitatem, & metum, exitum curationis minus favorabilem esse observant. Minus sperari potest, si corpus alio morbo affectum est; & tamen illo casu, cognita tempestive ac levata morbi complicatione, multis etiam medela non prorsus defuit. Saepe autem diagnosis complicationis inprimis venereae difficilis est; perinde impeditur curatio.

Univer-

e) Observ. Fasc. IV.

f) Des malad. chirurg.


g) Traites des operat. de chir. Tom. 3.

h) vermischte Schr.

i) Anfangs Gründe der Wundartzn. p. 148.

Universe mos est hac aetate non omnibus acceptus, operationes chirurgicas quacunque occasione exercitandi neglecta chirurgia medica. Sed si utilitate caret, dextere peracta operatio, impedire operationes magis laudabile est. Sanatio vulnerum absque operatione iudicium poscit; altera exercitatum tantummodo manum. Illa hystriorum saepe communis est, haec solum artis peritorum.

Porro non sit arthriticus, podagricus, aut habitus corporis ad quaslibet cachexias dispositus; Tristitia & metus, venere exsuccum corpus, primarum viarum fordes, abstinentia a consuetis, maxima obstacula ponunt. Scribit WIDENFELDVS: vulnerum sanationem ancipitem esse in subjectis cute leviente instructis sive atrabilariis, & iis, quibus quaelibet vulnuscula suppurant. Fibra non adeo rigida sit ut in senibus. Interim emundari a sordibus debet pars separata, & futura aut sicca aut sanguinea consolidari, ut per reunionem adglutinetur. Optimum est exhibere statim ab initio emeticum, & purgans; purgans vero refrigerans sit. Viribus exhaustis roborantia inveniunt in connubio cum purgantibus; causa enim praecipuorum symptomatum in primis viis latitat, ibi acrimonia gastrica a variis causis proficiscitur, sola indigestio ciere mortem potest; eo magis in vulnerato. Exaestuatio, calor, febris & varia orta symptomata mentuntur causam latere in vulnere, cum tamen effectus acrimoniae gastricae sint. Inde venaesectio non prodest, sed nocet. Idem de spasmis valet adeo, ut certum sit tetanum curari melius vomitoriis, quam opio. Experientia docet, venaesectionem saepe post adhibitum medicamen purgans necessariam amplius non esse, cum antea crederetur indicata. In Gallia inprimis hic error frequens est, ut venaesectionem aliis remediis praeferant. Historia *Lombardi* de nobili quaedam Matrona exhibet, quantum noceat venaesectio, nisi prudenter eam instituas. Terror & metus perhibent omnino venaesectionem. Plurimas autem vulnerationes inter gravissima animi pathemata contingere certum est. Ita ut contentio saepissime occasione praebent rixis & vulnerationi.



sine terrore & metu est. Etiam qui animosus operationi chirurgicae se submittit. Dum imminet hora jam tremit. Terror quoque & timor invadit omnes, qui vulnerantur. Res vero nimis cognita est, animi pathemata augere secretionem bilis, eamque saepius mutare in acrimoniam causticam. Quam multis vulnera infliguntur impleto stomacho? inter pocula plerumque fiunt contentiones & pugnae; ipse milis edit & bibit strenue, antequam ad pugnam accedat. Ordinarie vulneratio digestionem impedit, & corrumpit id, quod jam in ventriculo est.

Praeterea aer vulneratum circumdans purus sit, ac mens tranquilla. Coitus vitandus; Aeger aeri libero exponi adeo non debet; atque ne vulnus aeri nocivo exponatur, cum deligatione properandum est. Remedia consueta ad consolidandum vulnus sufficiunt. Quies inprimis aegrum juvat. Nunquam vulnus solum respiciendum est. Quaeritur saepe causa debilitatis in humorum penuria a vulnere causata; at exhibitis in casu simili roborantibus, & nutrientibus remediis, impuritates eo magis augentur.

Vulneris inflammatio diu saepe durat, ejus vero causa a primis viis tantum repetenda est, si causa haec non statim per evacuantia tollatur, febre superveniente malum augetur.

Saepe cicatrix in vulnere non apparet; & impuritates quoque primarum viarum hunc effectum impediunt.

Anni quoque tempus respiciendum, excretio alvina ope clysmatum servanda; diaeta pro ratione virium instituenda est; qui viribus exhausti sunt, iis nutrientia, qui inflammatorii inveniuntur, anti-phlogistica adhibenda sunt &c. &c.

Haec

Haec sunt praecipua, quae ad curationem spectant. Ceterum secundum indicationes procedendum est. Nec habet curatio partium separatarum, quod a curatione cujuscunque vulneris simplicis differat.

Quod si igitur his meis pagellis tantum effecissem, ut graviter vulneratis optatu medela in posterum impendatur; non poeniteret unquam, eas sincero quo potui animo sub incudem vocasse.

Certe chirurgus, post habitis vanis timoribus, plus proficit partes separatas servando, quam amputando. Commercium autem vitale adeo celebre est, ut in curatione quorumcunque vulnerum nos bene semper sperare faciat.

T A N T V M.

THESES.

I.

Arthritis non ex materie sui generis oritur.

II.

Opium in Tetano non semper adhibendum.

III.

Iudicium ex pulsu saepe falsum.

IV.

In insitione variolarum probe caveas, ne eodem momento, quo virus vulnus intrat, simul per inspirationis vias in corpus transmittatur.

V.

Cortex peruvianus exhiberi etiam in febribus inflammatoriis potest.

VI.

Norma repetendi corticem peruvianum in febribus intermittentibus, post unius vel duarum hebdomadum intercapedinem, non vana empyria, sed penitiori febris ipsius cognitione, nititur.

VII.

Temperamentum saepe morborum fundamentum.

VIII.

In capitis vulneribus evacuantia exhibenda sunt.

IX.

Roborantia debilibus interdum noxia.

X.

Vulnera cerebri non absolute lethalia sunt.

XI.

Vomitoria in febribus biliosis non semper purgantibus praeferenda sunt.
